



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Vinea fuit pacificio in ea quæ habet populos. Tradidit ea[m] custodibus. Vir  
affert pro fructu eius mille argenteos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**



Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos.

¶ Hoc dilecta ad gratiam & gloriam de semet ipsa dicit. Et dilectus continuo respondens ait.

¶ Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius

¶ Ad causam dilectæ huius, quæ hoc ipsum loquitur, multum pertinet, meminisse & denarrare, in quo plantata fuerit vinea dilecti sui, scilicet utrum in fide an in operibus, de qua videlicet vinea & lex & prophetæ & in euangelio suo multa loquitur ipse dilectus. Propterea nunc dicit. Vinea fuit pacifica in ea quæ habet populos. Quæ nam illa est quæ habet populos? Fides an lex? Non utique lex, sed fides. In fide vinea domini plantata est non in lege, quemadmodum & apostolus dicit. Non enim pro lege promissio Abrahamæ aut semini eius, ut hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Et subinde. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahamæ, non ei qui ex lege est solum, sed ei qui ex fide est Abrahamæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est quia patres multarum gentium posui te ante deum cui credidi sti. Item de eodem. Qui contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei, sic erit semen tuum sicut stellæ cæli & non infirmatus est fide, &c. Ergo quæ habet populos ipsa est fides, quia per fidem Abrahamam pater populorum, pater multarum gentium factus est. Quid igitur o æmula mea, o synagoga siue carnalis circumcisio contra me gloriaris quasi

Vinea plantata in fide, non in operibus legis

Rom. 4

Vinea dicitur ante leges plantata esse